*Ephemerides Carmeliticae* 07 (1956/1) 240-284

# RAMENTA CARMELITANA

## 12

# VIRIDARII
## auctore Joanne Grossi
## Ordinis Carmelitarum priore generali
## recensio vaticana *

*Auctor et tempus.*

1. Ioannem Grossi[1] († 1/8 1435),[2] provinciae Tolosae et conventus Appamiarum (Pamiers) alumnum, necnon theologiae magistrum,[3] prius (1389-1411) avenionensi Ordinis obedientiae praefectum, deinde (1411-1430) totius Ordinis priorem generalem, libellum, *Viridarium* inscriptum, quo Ordinis historiam ab Elia propheta ad sua usque tempora carptim perstrinxit, feliciter admodum edidisse perquam no-

---

* Signa et compendia, sive communia sive propria codicum et editionum (*ABDLORSS'VW*), ad textum et apparatum cf. in Intr. 16. - Auctores compendio laudati: *ACG* = G. Wessels, O.C., (et B. Zimmerman, O.C.D.), Acta Capitulorum Generalium Ordinis Fratrum B. V. Mariae de Monte Carmelo, vol. I ab anno 1318 ad annum 1593, Romae 1912. *Annotat.* = Sibertus de Beka, O.C., Annotatio capitulorum generalium (cf. Intr. 14, 5: ed. MHC). *AnOC* = Analecta Ordinis Carmelitarum, 1-18 (Romae, 1909-1953). *AnOCD* = Analecta Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, 1- (Romae, 1926/27-). *BC* = Cismas de Villiers, O.C., Bibliotheca Carmelitana, I-II, Aurelianis 1752. *BlC* = E. Monsignanus, O.C., Bullarium Carmelitanum, I, Romae 1717. *Const* = Patrick de S. Joseph et Marie-Joseph du Sacré-Cœur, O.C.D., Constitutions des Grands Carmes: Études Carmelitaines 5-7 (Paris 1920-22) 3-176 (in supplemento): laudatur Speculum I. de Chimineto (cf. Intr. 14, 2) rubricae 1$^{ae}$ insertum paragraphis codicis et paginis editionis. *EphC* = Ephemerides Carmeliticae 1- (Romae, 1947-). Eubel = C. Eubel, O.F.M.Conv., Hierarchia Catholica Medii Aevi, I$^{2}$ (Monasterii 1913), II$^{2}$ (1914). Grossi$^{1}$ = Catalogus priorum generalium in MHC 236s (cf. Intr. 13). Grossi$^{S}$ = Tractatus de scriptoribus de quo in Intr. 14, 11 (ed. SpC$^{2}$). *Intr.* = Introductio haec distincta in paragraphos et subdivisiones. *MHC* = B. Zimmerman, O.C.D., Monumenta historica Carmelitana, I, Lirinae 1907. Riboti = Ph. Riboti, O.C., De institutione... (Intr. 14, 3: ed. SpC$^{2}$). *Sanct*$^{a-e}$ = Sanctoralia (cf. Intr. 14, 10): $^{a-d}$ sunt catalogi I-IV editi in Xiberta$^{V}$ 281-313, $^{e}$ in SpC$^{2}$ 1/2 137$^{a}$-141$^{a}$. *SpC*$^{1}$ = <Baptista Cataneus, O.C.>, Spe-

tum est. Ipse enim primus novam[4] rerum gestarum chronologicam successionem aggressus est, eo quiden exitu, ut priorum generalium series ab ipso statuta et vulgata evaserit eique castigandae ac perpoliendae operam impenderint atque impensuri sint Carmelitarum historiae cultores. Humilis autem nostra intentio haec una nunc est, ut e codice, alias sat noto,[5] textum in lucem diligenter proferamus, cum editis deinceps utiliter conferendum simulque adhibendum, quin asserta perpendenda suscipiamus.

---

culum ordinis Fratrum Carmelitarum, Venetiis 1507. *SpC*[2] = Daniel a Virgine Maria, O.C., Speculum Carmelitanum, I-II, Antverpiae 1680. TRISSE[CMP] = Tractatus I. Trissae de capitulis, magistris parisiensibus, prioribus generalibus (cf. Intr. 14,6: ed. MHC). VENTIMIGLIA = M. Ventimiglia, Historia chronologica Priorum Generalium ordinis B. M. Virginis de Monte Carmelo, Neapoli 1773. XIBERTA[S] = B.M. Xiberta, O.C., De scriptoribus scholasticis saeculi XIV ex ordine Carmelitarum, Louvain 1931 [= Bibliothèque de la Revue d'Histoire Ecclésiastique, 6]. XIBERTA[V] = B. F.-M. Xiberta, O.C., De visione sancti Simonis Stock, Romae 1950 [= Bibliotheca Sacri Scapularis, 1]. — De ratione editionis cf. *Intr.* 15 et praesertim not. 83 de variatione in apparatu comparativo.

[1] licet diutissime omnium generalem hucusque egerit, pauca de eo nota atque scripta sunt: cf. *BC* I 858s, VENTIMIGLIA 119-124 et LEZANA, *Annales* IV (cf. *BC* I 776s n. 14) 727s (a. 1389 n. 4), 772s (a. 1411 n. 2s. 7), 776s (a. 1416 n. 2-6), 802 a. 1424 n. 5), 803s (a. 1425 n. 2. 4), 817s (a. 1430 n. 1. 10), 845s (a. 1437 n. 7): LEZANA primus usus est *ACG*, et *BC* ac VENTIMIGLIA ab eo pendent. Acta capitulorum obedientiae avenionensis videntur deperdita; toti Ordini praefectus quinque capitulis generalibus Grossi interfuit (cf. *ACG* I 600), ac insuper conciliis pisano et constantiensi. Quaedam aliae notitiae passim occurrunt: cf., v. g., *AnOC* 11 (1940) 86-88; *MHC* 256s. 398. 430. 459-466. 477s. 479-482. In capitulo nannetensi « sponte et libere resignavit in manibus Ordinis officium generalatus » (*ACG* I 174), statuta ei annua provisione de communi Ordinis pecunia (*ACG* ibidem). Rationem resignationis huiusmodi tradit BALEUS « ...magis rexisset nisi fuisset pecunia, ratione cuius resignavit » (*MHC* 238), quod explicat ZIMMERMAN (*MHC* 238 not. 1).

[2] hoc anno obiit iuxta testimonium coaevum *Necrologii Florentini* f. 31 (Firenze, Biblioteca Nazionale, *Conventi soppr.* F. 4. 785), quo primus usus est ZIMMERMAN in *ACG* I 136 not. 2 et quem edidit XIBERTA[V] 95, eiusque auctoritati nihil obiicitur. Utique BALEUS mortem recoluit a. 1434 (*MHC* 257), eique assensisse videtur ZIMMERMAN (« circa annum 1434 » *MHC* 235); sed antea LEZANA, *Annales* IV 845 « eodem anno 1437 vel circiter » obitum posuit, dein ibidem ipse confessus est « annus obitus ipsius incertus »; *BC* I 858 autem absque dubitatione est a. 1437. Inde videtur a. 1437 communem apud veteres auctores evasisse, a. 1434 vero apud hodiernos, missa Bostii ac Palaeonydori singulari sententia de a. 1424, quam LEZANA, *Annales* IV 802 merito explosit.

[3] certo non parisiensis, sed probabiliter tolosanus.

[4] « novam » asserimus, quia etiam *Chronicon* Ioannis de Veneta (cf. *Intr.* 14,9) chronologice est ordinatum sed alia ratione, ut praetereamus opus Riboti (cf. *Intr.* 14,3), in quo successio chronologica licet non absens, minus evidens est.

[5] cf. B. DE MONTFAUCON, *Bibliotheca bibliothecarum manuscriptorum nova* I (Parisiis 1739) 114; *BC* I 760 n. 2; <IOANNES NEPOMUCENUS A S. FAMILIA>, *Histoire de l'Ordre de Notre Dame du Mont Carmel* (Maestricht 1798) 94-102 (est *Annotatio capitulorum generalium* Siberti de Beka ex f. 87'-89'); *MHC* 193-202; XIBERTA[V] 95. 147 not. 1.

2. Tempus vero quo Ioannes Grossi opus primum ediderit incertum est, cum ex prooemio quidem eum tunc priorem generalem fuisse indubie eruatur, sed ex locutione haud pateat utrum post effectam Ordinis unionem (a. 1411) « prior generalis Ordinis » iure dici potuerit an etiam antea (quod sane ipsi tenemus),[6] ideoque intra 42 annorum spatium solutio comprehendatur. Accedit insuper probabilitas duarum saltem editionum, prioris durante munere avenionensi et alterius paucis annis post unionem: iuxta quam sententiam praecipuae recensiones, de quibus acturi sumus, ab ipso Grossi originem repeterent. Ceterum Daniel a Virgine iam concluserat: « Unde apparet, quod primo brevius ab eo <I. G.> fuerit editum, et deinde auctius et correctius ». Recensionem *Speculi* antuerpiensis spectantes auctores quidam *Viridarium* in a. 1430 differunt,[7] quo Grossi a generalatus officio se abdicavit: licet enim huic sententiae faveant anni regiminis adnotati « qui postea rexit totum Ordinem annis xx in sua obedientia », obstant et omissio horum verborum in *Speculo* veneto et eventus post unionem commemorati, qui a. 1414[8] pertingunt (immo a 1411 in textu veneto, omissa mentione bullae Ioannis XXIII). Igitur improbabile non videtur pluries Grossi libellum post unionem retractasse, sed primis annis suscepti totius Ordinis regiminis.

Tria praecipue de opusculo disquirenda occurrunt: ambitus, recensiones, fontes, quorum primum potissime nostra interest, cetera autem, licet summi sint momenti, innuenda potius quam pertractanda nobis visa sunt.

### *Textus: ambitus, editiones, recensiones.*

3. Cum Ioannes Grossi, praeter compendium historiae Ordinis, series quoque sanctorum atque doctorum seu scriptorum Ordinis confecerit, ipso s. xv inter auctores non convenit, utrum *Viridarium* etiam illas complecteretur, an libelli essent saltem ab eo independentes, licet inter se arcte connexi. Namque tria sunt opuscula Ioanni

---

[6] cf. prooemium primi catalogi Grossi, proculdubio initio sui generalatus (*MHC* 235) confecti: « Isti sunt priores generales Ordinis nostri de quibus mihi fratri Johanni Grossy priori generali aliqualiter constat... » (*MHC* 236).

[7] cf. ZIMMERMAN in *AnOCD* 2 (1927s) 74a « circa finem sui regiminis » et in *MHC* 339 « ... Viridario, anno 1430 composito ». Novissime (« achevé d'imprimer le 12 juin 1956 ») in *Études Carmélitaines* 35 (1956) II 67 p. Rudolf HENDRIKS, O.C., aetatem a Zimmerman statutam omnino reiecit (« est de toute façon inexacte parce que trop tardive »); ipse a. 1395 circiter proposuit, alteram quoque redactionem ante a. 1417 suspicatus, argumento assumpto e *Viridario* § 1 l. 7s « mundiali viridario dirupto »», ubi ad schisma vel Ecclesiae (usque ad a. 1417) vel Ordinis (usque ad a. 1411) alludi opinatus est.

[8] innuitur Bulla Ioannis XXIII *Frequenter hactenus* die 28/8 1414, qua caret S'.

Palaeonydoro[9] in *Fasciculo Tripartito*: [10] « Sextus, Magister Joannes Grossi, Generalis Prior, scripsit *Viridarium* de Rectoribus Ordinis Carmelitarum, cujus initium est *Quia rebus grandibus*. Item de Sanctis Ordinis Tractatum unum. Incipit *Quia Deus in Sanctis suis*. Etiam scripsit de Magistris Ordinis & illustribus viris. Incipit *Recitatis ut praefertur, de Sanctis* »; [11] Trithemio autem unum opus: « Joannes Grossi... scripsit nonnulla opuscula, de quibus subiecta feruntur. *Opusculum de Ordinis sui Institutione & profectu, quod praenotavit Viridarium lib. 3...* ». [12] Trithemium mere descripsit Petrus Lucius; [13] utrumque secutus est Cosmas de Villiers in sua *Bibliotheca*, [14] qui, etsi distinctis numeris recensuerit libellos, nihilominus et *Viridarium* « libris tribus » constare asseruit et ad tertium adnotavit: « Nam & istud utrumque Opus non distinguitur a duobus posterioribus Libris *Viridarii* », insuper et catalogum sanctorum « partem secundam *Viridarii* » appellans. Attamen, ut Petrum Lucium Trithemii premere vestigia monuimus, ita et de Villiers animadvertendum pressius adhaerere auctoritati Danielis a Virgine Maria, apud quem *Viridarii* sunt duae partes, quarum prior est « De Institutione, et successione Ordinis tam sub veteri, quam nova Lege, ac Prioribus Generalibus » [15], altera vero « De Sanctis Patribus, et devotis, atque Scriptoribus nonnullis Ordinis gloriosae Dei Genitricis Viriginis Mariae de Monte Carmeli, authore Ioanne Grossi ». [16] In *Speculo* quidem veneto libelli simul editi sunt, [17] sed nullomodo inter se connexi: v. g. post *Viridarium* dicitur « Sequitur de sanctis ordinis Carmelitarum ». [18] Unus codex bambergensis tractatus iunctim continet, sed in eo quoque nullum est indicium unius operis, immo tractatus de doctoribus aliis notitiis a praecedenti separatur. [19] *Speculum* tamen antuerpiense tantam nactus est auctoritatem, ut eius *Viridarii* editio cum peculiari partitione vulgata evaserit.

Inter recentissimos auctores unitatem operis certo tenet Xiberta, ubi « plantulas » *Viridarii* hac ratione interpretatur: « plantulae autem esse videntur priores generales, sancti, scriptores »: [20] iuxta

---

9 Ioannes Palaeonydorus (seu Oudewater), O.C., belga conventus mechliniensis († 1507): *BC* II 65s.

10 edito in *SpC*² 1/2 221-273, de quo cf. *BC* II 65s.

11 *Fasciculus tripartitus*, prooemium: *SpC*² 1/2 221ᵇ n. 935.

12 Ioannes Trithemius, O.S.B., *De viris illustribus*: *SpC*² *II* 900b n. 310.6.

13 Petrus Lucius, O.C., *Carmelitana Bibliotheca* (Florentiae 1953) 48.

14 *BC* I 859 n. 1-3.

15 *SpC*² 1/2 131.

16 *SpC*² 1/2 137.

17 *SpC*¹ 101-104.

18 *SpC*¹ 102′.

19 Bamberg, *Staatsbibliothek*, *ms. theol.* 218, f. 67-71 (*Viridarium*), 71′-76 (De sanctis), 77′-80 (De scriptoribus).

20 Xiberta^V 95s.

quam interpretationem nec ipsa Danielis divisio apta esset, cum tota eius secunda pars ad alteram clavem *Viridarii* pertinere et conclusio extra locum posita dicenda esset. Attamen multo minus probandus est bollandianus auctor novam clavem *Viridario* tribuens: «... ex praecitato Ioanne Grosso Clave 3 Viridarii, quae est de Sanctis quibusdam Ordinis ».[21] Alibi vero unitatem huiusmodi ipse Xiberta, de sanctorum catalogo agens, reiicere videtur, sive quando ei est « textus brevior adiunctus *Viridario* in editione Veneta *Speculi* anni 1507 »,[22] sive quando textus longior in *Speculo* antuerpiensi « sequitur *Viridarium* Ioannis Grossi tamquam alteram eiusdem pars, unde modernorum error, qui propterea catalogum Ioanni Grossi imponere consueverunt »:[23] uterque enim textus, sive brevior genuinus sive longior iniure tributus, *Viridario* « adiunctus » adstruitur.

4. Igitur ex ipso textu eruendum superest, quid auctor vere intenderit. Utriusque *Speculi*, necnon codicis bambergensis supra laudati (*Intr.* 3) textum, qui solus dicendus est opus completum, *Viridarii* unitati, exclusis sanctis et scriptoribus, favere ultro fatendum est: prologus enim et epilogus perfecte sibi respondent metaphora ex viridario assumpta,[24] quae in fine iisdem fere verbis occurrit. Catalogus vero sanctorum, licet prooemio sit instructus, ad *Viridarium* nequaquam alludit, cum tamen conclusio prooemio respondeat; series autem scriptorum explicite ad sanctorum catalogum refertur, quae ideo altera eiusdem operis pars haberi posset, propria tamen conclusione caret. Iure ergo asseri potest, *Viridarium* ab auctore ut compendium chronologicum historiae Ordinis conditum fuisse, sanctis et scriptoribus in proprios libellos collectis. Quod probat codicum conditio;[25] neque officit *Viridarii* dissectio, cum evidenter priorum generalium series in uno codice[26] seorsim tradita excerptum sit ob finem practicum ex integro opere.

In sequentibus, editiones recensentes, *Viridarii* ambitum iuxta cuiusque editoris sententiam descripturi sumus, sed cum ipsi tres distinctos libellos teneamus, *Viridarii* strictim sumpti fines semper declarabimus.

5. Tres hucusque editiones *Viridarii* in lucem prodierunt: prima ex ignoto codice in antiquiori *Speculo* carmelitano f. 100'-102'

---

[21] *AS/mai.* III (1680) 654ª n. 3.
[22] XIBERTA^V 87.
[23] XIBERTA^V 92.
[24] quam e *Speculo* I. de Chimineto desumptam putamus: cf. *Const* 1/9 ed. 19.
[25] in uno enim codice bambergensi (not. 19) tres simul occurunt, neque ibi indissolubili nexu coniuncti.
[26] in codice lunellensi (*Intr.* 7, a 2) f. 150-154.

cura Baptistae Catanei;[27] secunda opera p. Danielis a Virgine Maria[28] in antuerpiensi *Speculo Carmelitano* 1/2 (1680) 131-144 « ex MSS. exemplaribus Mechliniensi (exarato anno Christi 1484 per Joannem Oudewater, alias Palaeonydorum), et Bruxellensi in vetusto codice MS. inter se, et cum Veneto impresso collatis »;[29] tertia demum industria p. Gabrielis Mariae Wessels[30] in *Analectis Ordinis Carmelitarum* 8 (1932-37) 125-144 ex *Speculo* antuerpiensi « sine tamen notationibus P. Danielis a V. M. et omissis scriptoribus ».[31] Patet ergo duas recensiones circumferri, quas et venetam et antuerpiensem appellare placet. Textum vero earum in pluribus differre, perlegenti perspicuum est; insuper, attestante p. Daniele a V. M., « vetusta exemplaria, quae passim hic indè extant MSS. et Venetum typis editum anno 1507 in Speculo Ordinis, sub finem, inter se non conveniunt; Manu scripta continent plura quàm impressum, praesertim quoad Sanctos ».[32]

Historiae igitur textus non modicum conferre putamus novam e manuscripto recensionem hic edendam, quam satis ab editis discrepare liquido apparebit. Quod autem conclusit p. Daniel: « Undè apparet, quòd primò brevius ab eo <Joanne Grossi> fuerit editum, et deinde auctius et correctius »,[33] ad trutinam revocandum censemus, si quando, ut est in votis, critica *Viridarii* editio parabitur, in quam omnia hodiernae scientiae subsidia conferantur. Tunc enim prae primis definiendum erit, utrum Grossi prius ut obedientiae avenionensi praefectus *Viridarium* in vulgus emiserit, deinde generalis totius Ordinis prior retractatum, ita ut recensio textus tam avenionensis quam italica ipsum agnoscat auctorem.

6. *Viridarium* divisit Grossi in duas partes, quas « claves » inscripsit, priorem usque ad Christi adventum alteram ad sua usque tempora. Differentiae sive codicum sive editionum in priori clavi occurrentes exiguae sunt, et in recensionibus determinandis fere negligendae; potiores vero in altera clavi passim fiunt obviae, e quibus proinde diiudicandae sunt variae textus traditi formae. Duas recensiones, venetam et antuerpiensem, supra innuimus; sed cum ferme omnes textus propriam formam aliquatenus praeseferant, praecipuas definire convenit, ad quas ceterae referantur. Eventus

---

[27] *Speculum ordinis Fratrum Carmelitarum nouiter impressum*, Venetiis 1507, apud L. A. Giunti (latine Iuncta). Editionis anonymae auctorem prodit *BC* I 216 n. 1.

[28] cf. *BC* I 375-379.

[29] *SpC*[2] 1/2 131$^b$ n. 550: *Viridarium* proprie ibidem 131$^a$-135$^b$ n. 551-555. 560-576.

[30] cf. necrologium de eo (1861-1944) in *AnOC* 12 (1943-1945) 227s.

[31] *Viridarium* proprie ibidem 125-134, et nota p. Wessels 125 not. 1.

[32] *SpC*[2] 1/2 131$^b$ n. 550.

[33] ut not. 32.

autem discriminans videtur esse priorum generalium successio tempore magni schismatis occidentis, ita ut textus sint qui successionem offerant avenionensem et textus qui italicam, iuxta utramque « obedientiam » in quam Ordo cum Ecclesia occidentali tunc divisus fuit. Hoc autem inter utramque seriem intercedit discrimen, quod avenionensis generales urbanistas omnino ignoret, italica vero simul componat, manifestum prodens indicium chronologicum recensionum; insuper italica desinit in Grossi, avenionensis in omnibus codicibus retractata et aucta est, additis generalibus usque ad cuiusque scriptoris aetatem.

Avenionensem successionem certo servarunt codices abulensis, lunellensis, vaticanus et rothomagensis; italicam utrumque *Speculum*, codex bambergensis et aliquatenus etiam oxoniensis. Singulis textibus prius recensitis, praecipuae differentiae innuentur.

### 7. *Recensionum testes.*[34]

a) *Recensio avenionensis.* — In quatuor codicibus est asservata, quorum nullus originalem formam praesefert, sed varie aucti sunt, abulensis et lunellensis usque ad generalem Ioannem Faci, vaticanus autem et rothomagensis, uterque prima manu, usque ad Ioannem Soreth.

1) Codex abulensis:[35] *Roma, Arch. Generale O.C., II. C. O. II. 35* f. $r^8$-$s^3$. Codex in membrana, medio s. xv scriptus, olim conventus abulensis (Avila in Castella),[36] dein xeritani (Jerez in Baetica), paucis ante annis Romam delatus est et Archivo generali ordinis Carmelitarum invectus. Lingua latina et hispanica continet praecipue *Constitutiones* Ioannis Ballester,[37] ut codices vaticanus et lunellensis, initio mutilas (f. $c^1$-$p^{5'}$ ab incompleta rubrica 8), et *De peculiaribus gestis* Philippi Riboti[38] (f. $y^5$ - ad finem foliis non numeratis); inter quae opera maiora libelli interserti sunt (f. $p^6$-$y^{5'}$), quorum unus est *Viridarium* (f. $r^8$-$s^3$) post *Compendium* Ioannis de Baconthorp « Beatus Bernardus ».[39] Notandum hic puto quomodo textus latinus et hispanicus se invicem excipiant: 1° totam clavem I (= *V* § 1-7) « Quia res grandis... fidem Christi predicauerunt » latine (f. $r^8$-$8'$) sequitur versio (f. $r^{8'}$-$9'$); 2° clavis autem II primo (= *V* § 8-9) « Sequitur secunda clavis... multa passi sunt dicti fratres » latine (f. $r^{9'}$-$10$) et hispanice (f. $r^{10}$); 3° deinde (= *V* § 10) « Anno vero Domini 1099... et faciebat multa miracula », seu de Brocardo primo ge-

---

[34] in codicibus describendis ea tantum recolere intendimus quae *Viridarium* directe afficiant, eo quidem parcius, quo notiores illi sunt.

[35] gratias maximas rependimus Patribus Carmelitis ad S. Albertum (Via Sforza Pallavicini 10), qui comiter pretiosi codicis usum nobis permiserint. Pleniorem descriptionem in *Ramentis Carmelitanis* 13 horum *Ephemeridum* trademus.

[36] quod e folio custodiae deprehendimus, manu, probabiliter, s. xviii; nescimus quando ad conventum xeritanum pervenerit.

[37] cf. *EphC* 6 (1955) 270s n. 4.

[38] cf. *EphC* 6 (1955) 272s n. 6.

[39] cf. *BC* I 744 n. 5.

nerali, latine (f. $r^{10-10'}$) et hispanice (f. $r^{10'}$); 4° a s. Brocardo ad finem (= V § 11-32) tot sunt paragraphi quot generales, prius latine deinde hispanice, ita quidem ut vel versio linea sequenti incipiat (= *a*) vel in ipsa linea textum latinum sequatur (= *b*), iuxta conspectum subiiciendum: V § 11-17 (f. $r^{10'}$-$s^{1'}$) = *a*; V § 18 (f. $s^{1'}$) = *b*; V § 19 (f. $s^{1'-2}$) = *a*; V §20-32 (f. $s^{2-3}$) = *b*. Textus una manu exaratus in priorem Faci desinit, cuius anni regiminis non commemorantur, sed incomplete annus tantum electionis et hispanice etiam in episcopum assumptio; nec praetereundum est Faci vigesimum esse generalem iuxta textum latinum, sed hispanice undevigesimum.

2) Codex lunellensis: [40] *Lunel, Bibl. Municipale 15* f. 150-154. Post *Constitutiones* Ballistarii et ante *Annotationem capitulorum generalium* Siberti de Beka [41] traditur series priorum generalium a S. Bertoldo ad Ioannem Faci ex II clavi *Viridarii*, quorum nominibus constanter praefigitur numerus ordinalis « primus... vicesimus » et appellatio « prior generalis ». Pro Faci annus tantum electionis offertur.

3) Codex vaticanus: *Roma, Bibl.Apostolica Vaticana, Vat. lat. 3991* f. 17-18'. Codex quem edituri sumus describendus est infra *Intr.* 8.

4) Codex rothomagensis: *Rouen, Bibl. Publique, 773* f. 5-8'. Post *Regulam* s. Alberti et ante *Constitutiones* b. Soreth [42] idem librarius integrum *Viridarium* scripsit cum serie generalium usque ad Ioannem Soreth, cuius electio tantum notatur. Postea duo librarii notitias addiderunt, prior de Christophoro Martignoni, alter vero de Pontio Raynaudi et Petro Terrasse electo a. 1503.[43]

b) *Recensio italica.* — Testes eius extant *Speculum* tam venetum quam antuerpiense et unus codex completus, nempe bambergensis; cum autem oxoniensis, qui post Brocardum intercipitur, in serie generalium adiuncta obedientiae urbanianae nomina includat, recte et ipse huic recensioni addicitur.

1) *Speculum ordinis Fratrum Carmelitarum* (Venetiis 1507) f. 100'-102', de quo in *Intr.* 5 actum est.

2) *Speculum Carmelitanum* 1/2 (Antuerpiae 1680) 131ª-135ᵇ n. 551-555, 560-576, de quo cf. *Intr.* 5.

3) Codex bambergensis: [44] *Bamberg, Staatsbibliothek, ms. theol. 218* f. 67-71, ante catalogum sanctorum (f. 71'-76). *Viridarium* est completum desinens in I. Grossi, et cum *Speculo* antuerpiensi instruitur epilogo, de quo cf. *Intr.* 4.

4) Codex oxoniensis: [45] *Oxford, Bodleian Library, Laud. 722* f. 115'-116'. *Viridarium* post catalogum sanctorum et ante apusculum « Universis

[40] cf. XIBERTA$^{v}$ 147 et *EphC* 6 (1955) 271.
[41] XIBERTA$^{s}$ 148, *MHC* 193-202 et *Const* ed. 171-175.
[42] cf. *EphC* 6 (1955) 270s. et ibi not. 34. 39.
[43] *ACG* I 313.
[44] cf. XIBERTA$^{v}$ 84.
[45] cf. XIBERTA$^{v}$ 84s.

Christi fidelibus »[46] legitur. Clavis I est completa; II autem post notitiam de s. Brocardo abrumpitur, addita eadem manu serie 22 generalium a s. Bertoldo <I> ad Ioannem Faci, in qua omissus est Bartholomeus Roquali et additi Michael de Bononia, Ioannes de Raude et Mattheus de Bononia.

8. *Recensio vaticana,* cui in lucem proferendae nunc studemus, asservat codex *Vat. lat. 3991* f. 17-18', qui notissimus est propter textum *Constitutionum* Ordinis a. 1369, ex commissione capituli generalis a Ioanne Ballistario priore generali editarum.[47] Unum est ex opusculis inter rubricam I « Quomodo respondendum sit » (f. 1) et rubricam 2 (f. 19) interiectis, et quidem ultimo loco s. xv, cum codex ipse sit s. XIV. Librarii, alii ergo ac ille qui codicis maximam partem scripsit, duo diminutis litteris, cursivis et inclinatis, *Viridarium* exararunt: prior (= $V^{*1}$) libellum usque ad Soreth priorem generalem electum deduxit, alter (= $V^{3}$) vero, extrema notitiae de b. Soreth sententia deleta, duas postremas notitias addidit. Prior certo in generalatu b. Soreth scripsit, de quo dicit: « sub cuius obedientia ad presens totus ordo consistit » (§ 33); unde et hanc recensionem sorethianam appellari posse putamus et inter a. 1451 (1/11)[48] et a. 1471 (25/7) ortum habuisse censenda est, licet ex defectu cuiuscumque notitiae de Soreth potius sub initium suscepti muneris, verbi gratia ante novas *Constitutiones* a. 1462 (cf. not. 42), tempus praeferendum videatur. Alter vero, priore generali Pontio (1482-1503), notitiam de Soreth minime complens, duas adiecit, de Martignoni quidem completam, de Pontio autem, praeter electionis tempus, bullam quoque de uniformitate habitus, non aliam sane quam Sixti IV *Quae pro regulari* 26/5 1484,[49] controversiae de colore habitus inter Ordinem et Congregationem Mantuanam dirimendae destinatam, commemorantem: quare has additiones post medium a. 1484 esse confectas nullo negotio concluditur.

9. Si autem de comparandis inter se pluribus, quas hucusque retulimus, recensionibus agatur, venetam et antuerpiensem codicumque affinium, licet et ipsae ad invicem in pluribus differant, arcto contra vaticanam reliquorumque eius familiae codicum connecti vinculo illico patet. Praecipuas quasdam discrepantias, sub distinctis capitibus, in sequentibus simul componere visum est opportunum, brevitatis gratia compendiis adhibitis, de quibus cf. *Intr.* 16, et *Viridarii* sectionibus allegats iuxta divisiones in hanc nostram editionem inductas et signo paragraphi (§) praenotatas; omnes enim convenientias et varietates apparatus comparativus apte praebere studet.

---

[46] cf. XIBERTA$^{V}$ 85.
[47] cf. *EphC* 6 (1955) 270s n. 4.
[48] *ACG* I 220s.
[49] *BC* I $385^{b}$-$388^{b}$.

I. *Recensiones veneta et antuerpiensis cum vaticana collatae.*

1) *S'* et *D* in Ioannem Grossi totius Ordinis generalem desinunt (§ 30), *V* autem in Ioannem Soreth.

2) Uberior notitia de Grossi (§ 30) in *S'* et *D*, ad normam reliquarum in *V* contrahitur (in codice *V* paulo amplior est duabus lineis).

3) Alia priorum generalium successio est in *S'* et *D*, alia in *V*. Etenim in *S'* et *D* series ita decurrit: 1. Bertoldus, 2. Brocardus, 3. Cyrillus, 4. Bertoldus <II>, 5. Alanus; in *V* autem: 1. Bertoldus, 2. Cyrillus, 3. Brocardus, 4. Alanus (§ 10-13). Inde ab Alano utraque series concordat, prior quidem alteram unitate superans. Praecipua discrepantiae ratio est insertio alterius Bertoldi in recensione *S'* et *D*, de quo revera nihil fere profert *D*, *S'* autem idem ac *V* de Brocardo.

4) *V* schisma occidentale, indeque exortam utramque Ordini obedientiam, omnino reticet, successionem avenionensem tradens Olerii (§ 28), Vaquerii (§ 29) et tandem Grossi (§ 30), pro cuius regimine summa annorum profertur conflata ex munere tum avenionensi tum Ordinis totius; contra *S'* et *D* late Ordinis divisionem prosequuntur, post Olerium priores obedientiae romanae recolentes Michaelem de Bononia, Ioannem de Raude et Mattheum de Bononia usque ad utriusque obedientiae unionem, quas luculenter *S'* e primis prioribus appellat « magistri Michaelis de Bononia et magistri Bernardi Olerii » (§ 30). Itaque non immerito *V* traditionem avenionensem, *S'* et *D* romanam et officialem post unionem servare putamus.

5) Inter additiones notandas in *S'* et *D*, praesertim ad notitiam Guidonis de Perpiniano advertatur (§ 23), necnon Ioannis Ballistarii (§ 27), eius *Constitutionum* mentionem habentem.

6) Pro Grossi (§ 30) in *V* summa annorum utriusque regiminis praebetur, in *S'* et *D* autem anni 22 « in sua obedientia » tantum proferuntur (licet 20 subdat *D* pro totius Ordinis regimine).

**10.** II) *Recensio veneta cum antuerpiensi collata.*

Praecipuis quibusdam discrepantiis *S'* et *D* a *V* secernentibus adnotatis, differentias aliquas etiam inter *S'* et *D* intercedentes innuere non erit incongruum.

1) *D* pericopam ex *Epistola Cyrilli* de palliis albis inserit (§ 5), quam omittit *S'*, et variat ab *S'* notitiam de mutatione palliorum.

2) Quamquam priorum successio utrobique concordat, producta in *D* de Brocardo notitia (§ 12) deest in *S'*.

3) De Bertoldo <II> (§ 12) *D* solummodo eum lombardum fuisse refert, in *S'* autem notitia cum ea convenit quae in *V* est de Brocardo.

4) De Petro de Casa (§ 26), *S'* eum Famagustae in insula Cypro sepultum adstruit, *D* vero in ecclesia Vasionensi.

5) Inter plurimas inversiones, variationes minoresque additiones, omnes in apparatu notatas, uberiores notitiae animadvertuntur in *D* § 7. 19. 30 (de Grossi), necnon conclusio *Viridarii* (post § 30), qua carent *S'* et *V*; aliquando tamen etiam *S'* uberius aliquid legit, uti in § 10.

6) In *S'* summa annorum quo rexit Grossi deest (contra *V* § 30), qui tamen ex numero (20 annorum) quem in continuatione propria illius notitiae praebet *D* (§ 30), confici potest.

11. III) *Recensiones codicum bambergensis et oxoniensis.*

Generatim cum S conveniunt; immo improbabile non est bambergensem vel simillimum codicem subesse textibus mechliniensi vel bruxellensi, quibus usus est Daniel a V. M. in editione sua adornanda. Oxoniensis autem codicis conditio pauca sinit arguere.

a) De codice bambergensi.

1) Ubi *S'* et *D* inter se differunt, cum *D* legit *B*; ita ubi supra in *Intr.* 10 n. 1.2.4-6. Potissimum animadvertenda est convenientia in notitia de Grossi et in epilogo *Viridarii*, ubi potissimum *S'* et *D* ab invicem differunt.

2) Cum *S'* autem contra *D* legit *B* notitiam de Bertoldo <II>: cf. *Intr.* 10, n. 3.

3) In variis lectionibus passim obviis simillimas praebet cum *O*, et quidem tam peculiares, ut difficilius textus independentes admitti queant, ut paucissima exempla ostendent: § 1 l. 4 « rebus grandis », l. 16 « redemit », l. 20 « planticulis »; praesertim longior pericopa § 3 l. 39-44.

b) De codice oxoniensi — Propter maximam cum *B* affinitatem eiusque conditionem fere nihil notandum occurrit.

1) Cum *D*, sicut et *B*, convenit contra *S'* in *Intr.* 10 n. 1-2.

2) Cum *S'*, ad instar *B*, legit textum *Intr.* 11, n. 3.

3) In plurimis amice legit cum *B* contra ceteros, ut supra in *a*, n. 3 dictum est.

4) Propria sunt minoris momenti, v.g.: § 7 1. 78 « predicantes », ibidem l. 76 inversio.

12. IV) ***Recensiones*** *codicum abulensis, lunellensis et rothomagensis.*

Recensionis avenionensis testes (*Intr.* 7, a), cum codice vaticano generatim conveniunt (*Intr.* 9), quibusdam exceptis summatim hic recensendis. Peculiaris codicis *L* conditio, formae quoque peculiaris initio est causa.

a) A *V* differunt *ALR* praeprimis cum *V* frequentissime omittat « prior generalis » post numerum in serie, atque « anno Domini » vel « Domini » ante numerum annorum, de quibus conferri potest apparatus textualis ad l. 74 et 85 clavis II: hisce locis *ALR* completas sententias cum *BS* offerunt.

b) Codex *abulensis* et *rothomagensis* invicem arcte connectuntur, quod ostendunt sequentia:

1) Nepos Aymerici de Malefayda (§ 10) non est Bertoldus sed Brocardus (Bogardus in *A*): cf. § 10 l. 27 et 32. Ideo est primus prior (cf. l. 33): quod forte iniucundum non erit criticae artis cultoribus.

2) Tertius prior generalis (§ 12) est Bertoldus loco Brocardi: cf. § 12 l. 41; exinde series *AS* cum *V* concordat et ab Alano ad Grossi tam *ALRV* quam *BDS'* eadem nomina referunt, quod indicium est stabilitatis primi catalogi Grossi.[50]

3) Frequentissime soli inter se conveniunt, e.g.: § 8 l. 8 « magis »; § 9 l. 12 ambo legunt annum 1080 contra 380 *V* et ceterorum.

---

[50] quem edidit Zimmerman in *MHC* 236s et de quo cf. Xiberta[V] 95.

4) Aliquando tamen alter cum *V* legit, alter aliter: § 10 l. 33 *A* cum *V* 32 annos tribuit primo generali, *R* vero 27 cum *BO* (cf. *V* § 12 l. 45).

c) Codex *lunellensis*. Cum propria indole sit praeditus, quaedam etiam praesefert a ceteris eum distinguentia.

1) Seriem generalium a Bertoldo exorsus (§ 10), paucis lineis totam notitiam contraxit: cf. § 10 l. 21-35; ceterum cum *V* concordans.

2) Notitiam contractam etiam de Cyrillo praebet, cum variis lectionibus: cf. § 11 l. 36-40.

3) Alibi quoque propriae lectiones passim occurrunt, v.g. § 16 l. 64-66.

Quae hucusque allata sunt in exemplum, studium comparationis haud explevisse, sed potius inchoasse putamus, hoc unum asserentes e collatis inter se textibus plurimum claritatis in opusculi historiam effusam iri sperandum.

### *De fontibus Viridarii.*

**13.** Ad libelli fontes inquirendos ipse Grossi legentes invitat, ubi in prooemio fatetur: « de meo modicum aut quasi nihil ponens, sed antiquorum flosculis dictorum breviter fulceam »,[51] clare innuens se florilegium quoddam de historia Ordinis e superioribus scriptoribus prospexisse. Quinam autem revera sint et qua ratione Grossi eos decerpserit alias studiose rimaturi, quaestionem nunc significare solutionemque adumbrare satius duximus.

Incerte futurum opus e serie priorum generalium exorsum est, quam Grossi initio suscepti muneris confecit,[52] ieiunis de praedecessoribus notitiis simul collectis atque connexis, ab Alano usque ad Raymundum Vaquerii, candide professus: « Isti sunt priores generales ordinis nostri, de quibus mihi fratri Iohanni Grossy priori generali aliqualiter constat, licet plures alii praecesserint ». Reapse de Alano et Nicolao Gallico diem tantum obitus, de Simone Stock alia quaedam adiecit, omnia autem e calendariis Ordinalium sive coloniensis pro Alano, sive aurisiacensis pro Simone et Nicolao:[53] notitiae pressius chronologicae tantum a Radulpho incipiunt, ut in *Annotatione capitulorum generalium* Siberti de Beka[54] et in *Capitulis Generalibus* Ioannis Trissae,[55] necnon in *Prioribus Generalibus*

---

[51] cf. *V* § 1 l. 10s.

[52] cf. editionem in **MHC* 236s e collectaneis Balei (London, British Museum, *Harley 1819* f. 107-107').

[53] *MHC* 236.

[54] cf. *Intr.* 14 n. 5.

[55] cf. *Intr.* 14 n. 6.

[56] cf. *Intr.* 14 n. 6.

[57] Firenze, Biblioteca Nazionale, *Conventi soppressi F. 4. 785*, de quo cf. XIBERTA^V 94. Textus completos de generalibus edidit XIBERTA^V 183-185 a s. Simone ad Petrum Raymundum, quos omnes scripsit Ioannes Bartoli (+ 1396) *Necrologi* inceptor (XIBERTA^V 94).

eiusdem Trissae,[56] aliquatenus *Necrologio* quoque *Florentino*[57] huc accedente.

Serius, rerum a Carmelitis gestarum lineamentum complere cupiens, haec quae sequuntur plus minus feliciter praestitit.

a) Traditionem elianam et marianam sui Ordinis efferens, eventus ab Elia propheta conditore ad Christi tempora summatim in priori libelli parte seu « clavi » perstrinxit, pauca initio II clavis addens de his quae usque ad Terrae Sanctae a cruce signatis liberatam acciderunt.

b) Initia epochae, quae postea a multis latina dicta est, brevissime, commemoratis Aymerico, Alberto, Bertoldo et Brocardo, recoluit una cum incepta serie priorum generalium.

c) Seriem generalium certam statuit, ut in primo catalogo supra laudato, ab Alano, anceps haerens quoad praedecessores propter duo, nempe numerum generalium et successionem eorum. Etenim tres in recensionibus *Viridarii* occurrunt series praedecessorum Alani, quas ad certiorem notitiam hic recensere non vacabit, codicibus et editionibus significatis: 1) series quatuor praedecessorum: 1. Bertoldus, 2. Brocardus, 3. Cyrillus, 4. Bertoldus <II>, 5. Alanus (=*BOS'D* et *Sanctoralia* [abc]); 2) series trium praedecessorum prior: 1. Bertoldus, 2. Cyrillus, 3. Brocardus, 4. Alanus (= *V* et *L*); 3) series trium praedecessorum altera: 1. Brocardus, 2. Cyrillus, 3. Bertoldus, 4. Alanus (= *A* et *R*). Si trium successionum ipse Grossi auctor demonstrari posset (quod quidem improbabile non est), evidens indicium hoc esset dubiorum et tentaminum seriei generalium perficiendae. Quod si prima ob utriusque *Speculi* auctoritatem, cum in *Viridario* tum in *Catalogo sanctorum*, communis evasit, ceterae non sunt omnino seponendae. Contra quas urgeri non potest testimonium Riboti VIII 2 n. 300 p. 75 b et 301, iuxta quod certissime primus prior est Bertoldus et secundus Brocardus, quia saltem in codice *V* in pluribus, quoad primos generales, Grossi a Riboti discedit.[58]

d) Generalium serie statuta, successionem chronologicam ordinavit Grossi, quam certam tantum noverat ab a. 1270, scilicet a Radulpho generali. Initium autem cum Riboti non assumpsit a. 1121 sed 1099, seu annum liberationis Terrae Sanctae. Sequens conspectus chronologiam codicis *V* perspicue ostendet.

| Series | generalis | annus electionis | anni regiminis |
|---|---|---|---|
| 1 | Bertoldus | 1099 | 32 |
| 2 | Cyrillus | 1131 | 22 |
| 3 | Brocardus | 1156 | 26 |
| 4 | Alanus | 1184 | — |
| 5 | Simon | 1200 | 50 |
| 6 | Nicolaus | 1250 | 19 |
| 7 | Radulphus | 1270 | .... |

58 cf. infra *Intr.* 13, d et *Intr.* 14, 3 quoad § 10-13.

Quaedam adnotanda videntur. Ad n. 1: annus electionis Bertoldi, ut supra innuimus, non est a. 1121 ut apud RIBOTI VIII 2 n. 300 p. 75 b, sed a. 1099, qui apud RIBOTI VIII 1 n. 292 est annus liberationis Terrae Sanctae; item anni regiminis non sunt 45, ut profert Riboti VIII 2 n. 301, sed simillimi videntur annis 33 regimini Brocardi ibidem attributi. Ad n. 3: 1131+22 essent 1153 (vel 1154) non 1156; insuper neque hic auctor secutus videtur chronologiam Riboti, qui Regulam Alberti ponit a. 1199 (RIBOTI VIII 2 n. 303), sed illam quam supponit Ioannes de Chimineto, iuxta quem Regula est a. 1160 (*Const* 1/6 ed. 15).

e) Iuxta chronologiam superius traditam Grossi per tempora distribuit, primus cum generalibus coniungens, confirmationes pontificias tam Regulae quam Ordinis ab Innocentio III ad Bonifacium VIII (§ 13. 16-17. 19-20).

f) Seriem tandem adauxit, notitiam de Raymundo Vaquerii complens suamque addens, quae in forma brevissima sed completa in codice *V* legitur.

14. Si de fontibus definiendis, qui certo Ioanni Grossi *Viridarium* conserenti praesto fuerunt, res, ut patet, difficultatibus scatet, cum et plures potuerint amitti et inter extantes frequens dubitatio nobis moveatur, quisnam ex similibus reapse ab auctore adhibitus sit. Studium, ut initio *Intr.* 13 palam professi sumus, alias perfecturi, aliquos fontes ceteris certiores breviter nunc recensebimus.

1) *Rubrica 1 Constitutionum* « Cum quidam fratres nostri... »: [59] antiquissimum et officiale historiae ac finis Ordinis lineamentum Ioanni Grossi necessarie notum, argumenta tantum, non ipsa verba, ob brevitatem, innuere potuit.

2) *Speculum* Ioannis de Chimineto « Filii sanctorum estis », [60] et

---

[59] *Rubrica 1* iam invenitur in *Constitutionibus* capituli Londinensis a. 1281: cf. *AnOC* 15 (1950) 208.

[60] Ioannes de Chimineto, provinciae Franciae, sententiarius parisiensis a. 1336: cf. *MHC* 425 et *BC* I 813-814. *Speculum* editum est integre in $SpC^1$ f. 49'-51', et excerptim in *Études Carmélitaines* 35 (1956) 48-52, $SpC^2$ 1/2 206 n. 886s; *Constitutionibus* Ioannis Ballistarii, editis in capitulo Montepessulano a. 1369 (*BC* I 760 n. 2), et asservatis in codicibus *Vat. lat. 3991* (Roma Biblioteca Vaticana), *Siena, Bibl. Comunale, G. XI. 45*, *Lunel, Bibl. Municipale*, 15, *Roma, Archiv. Gen. O.C.*, II. C.O. II 35 et II. C.O. IV. 4, insertum, in cod. *Vat. lat. 3991* f. 8-11' cum aliis pluribus inter 1 et 2 rubricam *Constitutionum*, et quidem proprio initio servato, in cod. autem **Lunel 15* f. 5'-13, novo initio inducto, apparet vera amplificatio antiquioris *Rubricae 1*. Extant insuper plures codices, in quibus separatim legitur. *Constitutiones* Ballistarii extulimus, cum certo iis usus sit Grossi; etenim illa insertio in *Constitutionibus* Petri Raymundi a. 1357 facta fuerat: cf. editionem ANTOINE-MARIE DE LA PRÉSENTATION, O.C.D., *Constitutions des Frères de Notre Dame du Mont Carmel* (Marche 1915) 2-18. Retractationem in *Constitutionibus* putat p. Hendriks opus esse Ioannis de Veneta: cf. *Études Carmélitaines* 35 (1956) II 54-57.

ipsum certissime notum Grossi, utpote quod in *Constitutiones* Ioannis Ballistarii ut continuatio antiquae *Rubricae 1* assumptum fuerit cum novo initio « Verum si diffusius », nonnulla praestitisse videtur, v. gr.: Regulae correctionem tempore Alexandri III § 12 l. 43-45 (cf. *Const* 1/6 ed 15), confirmationem Innocentii III § 13 l. 47-49 (cf. *Const* 1/6 ed. 15), adventum Mariae in Montem Carmelum § 3 l. 40s (cf. *Const* 1/4 ed. 11: sed cf. etiam RIBOTI VI 2 n. 222), fortassis imaginem quoque *Viridarii* (cf. *Const* 1/9 ed. 19s et 1/4 ed. 11 in fine).

3) Opus Philippi Riboti *De institutione et peculiaribus gestis religiosorum Carmelitarum,*[61] adhuc ignotum Grossi primum catalogum generalium conficienti, postea eidem innotuit,[62] ab eoque exemplar petiit Thomas Netter Waldensis tunc Angliae provincialis.[63] Improbabile non est huius monumenti notitiam Grossi ad suum libellum exordiendum movisse. Etenim ex illo fere omnia hausta sunt quae ab Elia propheta ad tempora Brocardi in *Viridario* leguntur, nempe § 2-10, addito quoque § 15, necnon confirmationes pontificiae in § 16-20 occurrentes. Ideo admirationem excitat chronologia primorum generalium § 10-13 opere Riboti neglecto.

4) *Catalogus priorum generalium* Ioannis Grossi, de quo actum est in *Intr.* 13. Hoc catalogo usus est auctor pro generalibus a Radulpho ad Raymundum Vaquerii (§ 18-29), forte etiam pro Nicolao Gallico (§ 17 l. 83), notitias ex aliis fontibus complens. Cuius catalogi similitudinem cum *Necrologio Florentino* expertus p. Xiberta, fontem alium utrique communem induxit.[64]

5) *Annotatio capitulorum generalium* Siberti de Beka,[65] quem auctor usque ad a. 1330 perduxit et alii usque ad a. 1393 protaxerunt. Opusculum huiusmodi novisse Grossi iam probabilitas externa suadet, quia in duobus ex tribus codicibus *Constitutionum* Ballistarii invenitur. Insuper, quoadusque fons quem Xiberta suspicatus est non

---

[61] Philippus Ribot, provinciae Catalauniae (+ 1391): cf. *BC* II 639-641. De manuscriptis, editionibus, versionibus cf. *EphC* 6 (1955) 272 not. 47-50.

[62] cf. *MHC* 235s. Hoc tamen « très invraisemblable » putat R. HENDRIKS in *Études Carmélitaines* 35 (1956) II 66, saltem si de prima redactione agatur.

[63] cf. epistolam Ioanni Grossi generali ab eo datam in *MHC* 461; codicem londinensem *Lambeth 192* suspicatur Zimmerman (ibidem not. 1) exemplar esse a Grossi in Angliam missum. De Waldensi (+ 1430) cf. *BC* II 824-826.

[64] cf. XIBERTA[V] 185 « ... verisimillimum videtur, ne dicam certum... ».

[65] de Siberto de Beka, provinciae Alemanniae (+ 1332) cf. *BC* II 741s, *MHC* 190-194 et 379, XIBERTA[S] 142-166. *Annotatio* cum continuationibus asservatur in codicibus: London, British Museum, *Harley 1819* f. 105'-107 (manu Balei, exinde editio **MHC* 194-200); Roma, Bibl. Vaticana, *Vat. lat. 3991* f. 87'-89' (inde edidit <IOANNES NEPOMUCENUS A S. FAMILIA>, *Histoire de l'Ordre de N.-D. du Mont-Carmel dans la Terre-Sainte sous ses neuf premiers prieurs généraux* [Maestricht 1798] 94-102, ex qua editione excerpta in *MHC* 201s); *Lunel, Bibl. Municipale, 15* f. 157-161 (seu in editione *Constitutionum* Ballester [cf. *Const.*] p. 171-175).

reperiatur (cf. n. 4 praecedentem), libellus Siberti notitias tam de capitulis quam de annis regiminis contulisse putandus est, cum *Catalogo* grossiano generalium tum clavi II *Viridarii*. Dubitatio utrum ex *Annotatione* an ex opusculis Trissae (de quibus n. 6 sequenti) depromptae sint, fere semper pro Siberto resolvitur, ut datum a. 1270 pro Radulpho § 18 l. 85 (*Annotat.* 194) contra a. 1271 TRISSE $^{C}$ 203, a. 1273 § 19 l. 90 (*Annotat.* 194) contra a. 1275 TRISSE $^{C}$ 203s; § 21 l. 109 notitia de renuntiatione Petri de Amiliano bene convenit cum *Annotat.* 195, sed ap. TRISSE $^{C}$ 205 tempore capituli iam est defunctus; et alia plurima, de quibus, si fas erit, alias absolutissime agetur.

6) Opuscula tria Ioannis Trissae,[66] scilicet: 1. *Capitula Generalia* ab a. 1259 ad a. 1362;[67] 2. *Priores Generales* ab a. 1271 ad a. 1361;[68] 3. *Tractatus de primis magistris parisiensibus* ab a. 1295 ad a. 1360.[69] Igitur *Capitula Generalia* respiciunt generales a Radulpho ad Ioannem Ballistarium (seu § 18-27), itidem *Priores Generales*, *Tractatus de primis magistris* autem selectos tantum a Gerardo de Bononia (§ 22: cf. *MHC* 377) ad Ioannem Ballistarium (§ 27: cf. *MHC* 392s).[70] Huiusmodi opuscula optime potuit legere Grossi, v. gr. in ipso codice nunc sorbonico,[71] et reapse plures animadvertuntur consonantiae inter textum *Viridarii* et opuscula Trissae prae *Catalogo* Grossi et *Annotatione* Siberti, ut exempli causa: § 21 l. 110 « rexit tribus annis » propius accedit TRISSE $^{P}$ 232 « Ordinem rexit tribus annis », quam GROSSI $^{1}$ « non complevit tres annos » et *Annotat.* 196 « solum vixit per duos annos »; ibidem « postea cessit », contra silentium TRISSE $^{C}$ 205, GROSSI $^{1}$ 236 et *Annotat.* 196, attestatur TRISSE $^{P}$ 232 « officio generalatus sponte cessit... »; § 23 l. 120 solum apud TRISSE $^{CPM}$, contra ceteros, legitur alter episcopatus, nempe TRISSE $^{C}$ 206, TRISSE $^{P}$ 233 et TRISSE $^{M}$ 378. Hucusque dicta nunc sufficiant.

---

66 Ioannes Trissa, provinciae narbonensis et magister parisiensis (+ 1363): cf. *BC* II 128, *MHC* 202s et 394. Opuscula in duobus codicibus asservantur, ex quibus in lucem prodierunt: London, British Museum, *Harley 1819*, manu Balei, edente ZIMMERMAN in *MHC* suo quoque loco; Paris, *Bibliothèque de l'Université 791* e quo edidit H. DENIFLE, *Quellen zur Gelehrtengeschichte des Carmelitenordens im 13. und 14 Jahrhundert* in *Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte des Mittelaters* V (1889) 365-384.

67 editiones in **MHC* 203-209 et apud DENIFLE (not. 66) 380-384.

68 editiones in **MHC* 231-234, apud DENIFLE (not. 66) 378-380 et in XIBERTA $^{S}$ 39-42.

69 editiones in **MHC* 377-393, apud DENIFLE (not. 66) 370-378 et in XIBERTA $^{S}$ 23-39.

70 praeter quos recensentur Guido de Perpiniano (§ 23: *MHC* 378s), Ioannes de Alerio (§ 24: *MHC* 380), Petrus de Casis (§ 25: *MHC* 381), Petrus Raymundi (§ 26: *MHC* 385), Ioannes Ballistarius (§ 27: *MHC* 392s).

71 codex sorbonicus Ms. t. II. 70, saeculi XIV, editus a DENIFLEG cf. not. 66, nunc Paris, *Bibliothèque de l'Université, 791.*

72 Ioannes de Baconthorp, provinciae Angliae et magister parisiensis (TRISSE $^{M}$ 389s), + 1348: cf. *BC* I 743-753, XIBERTA $^{S}$ 167-240 et NILO DI S. BROCARDO in *EphC* 2 (1948) 431-543. *Compendium* pluries editum est: *SpC* $^{1}$ f. 52-53', **SpC* $^{2}$ 1/2 $160^{b}$-$163^{b}$ n. 715-726; insuper in multis manuscriptis adhuc invenitur.

7) *Compendium historiarum et iurium*... Ioannis de Baconthorp.[72] Aliquando textus *Viridarii* propius accedit ad lectiones opusculi Bachonis quam aliorum fontium, uti, v.gr., § 2 l. 23-26 (cf. *Compendium* 3 n. 720) et § 16 l. 58s (cf. *Compendium* 4 n. 721 « Ordo Carmeli accepit Regulam... quam multi Romani Pontifices postea confirmaverunt »: sed cf. etiam *Const* 1/6 ed. 15): unde probabile fit etiam Bachonem *Viridario* instruendo aliquid contulisse, quod ipsum suadem clarum nomen auctoris.

8) *Informatio* Bernardi Olerii,[73] quam Grossi eius in munere successor novisse putandus est, forte influxit directe in § 3 l. 36s (cf. *Informationem* 1 n. 739).

9) *Chronicon* Ioannis de Veneta (?)[74] arctissimo nexu cum opere Riboti coniunctum esse vel obiter versanti apparet: propter hoc ipsum aliquoties dubitari posset utrum de Riboti an de *Chronico* fonte agatur.

10) *Sanctoralia*. Ante medium s. XIV originem duxisse p. Xiberta demonstravit[75] et unum saltem auctorem habet Grossi,[76] qui probabiliter idem fecit pro sanctis quod in *Viridario*, nempe collegit atque decerpsit scripta praecedentia. Plura sunt communia cum *Viridario*: igitur studendum erit quaenam notitiae antiquiores sint, *Viridarii* an *Sanctoralium*, quoad sanctos: Eliam, Eliseum, Ionam, Abdiam, Basilium, Ioannem patriarcham, Bertoldum, Cyrillum, Simonem, Nicolaum Gallicum, Petrum de Casis.[77]

11) *Tractatus de scriptoribus Ordinis* eiusdem Ioannis Grossi.[78] Idem dicendum ac de *Sanctoralibus* numero praecedenti: certum est tantum tractatum hunc confectum esse post *Sanctorale* quoddam.[79]

## 15. *Huius editionis ratio.*

Pauca quidem sed quae necessaria omnino sunt ut mente a legentibus advertantur, de huius editionis ratione praemittenda videntur.

---

[73] Bernardus Olerius, provinciae Catalauniae (+ post a. 1383): cf. *BC* I 278-282. *Informatio* edita est in utroque *Speculo*: *SpC*$^1$ f. 53'-56 et **SpC*$^2$ 1/2 166$^a$-171$^b$ n. 737-756.

[74] Ioannes de Veneta, provinciae Franciae (+ post a. 1368), magister parisiensis (TRISSE$^M$ 388): cf. *BC* II 131-136 et TRISSE$^M$ 388. *Chronicon* cf. in *SpC*$^1$ f. 57'-59', **SpC*$^2$ 1/2 202$^a$-205$^a$ n. 870-883, *AnOC* 8 (1932-1937) 169-178. De libelli authenticitate cf. R. HENDRIKS in *Études Carmélitaines* 35 (1956) II 54-57: merum operis Riboti compendium nobis videtur, quin auctorem hic pressius inquiramus.

[75] cf. XIBERTA$^V$ 206s.

[76] illud nempe quod edidit *SpC*$^1$ f. 102'-103 et *XIBERTA$^V$ 281-284, *SpC*$^1$ recudens.

[77] plura nomina in omnibus *Sanctoralibus* occurrunt, pauca quaedam solum in aliquibus, nempe: Ioannes Baptista (= *Sanct*$^d$), Basilius (= *Sanct*$^{de}$), Nicolaus Gallicus (= *Sanct*$^e$), Petrus de Casis (= *Sanct*$^d$).

